

Hæc tam paterna Dei patris & filij voluntas est, ut omnis, qui in fide & fiducia in gratiam & verbum Dei permanet, in æternum conseruetur & saluetur, & ut Christo nec peccatum, nec mors, nec Diabolus, nec infernum nocuere, ita & nihil horum unquam eiusmodi homini obesse possit. Per fidem enim in Christum sumus electi filij Dei, sicut inquit Ioannes cap. 1.

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Ioan. 6.

Omne quod dat mihi Pater, ad me venit: Et qui venit ad me, non eijcio foras. Quia descendi de cælo, ut faciam, non quod ego volo, sed quod vult is, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Ioan.